

Beiheft.

S. 64

1261 Nov. 27 Breden.

[14 64

Die Stadt Breden schließt mit der Äbtissin einen Vertrag über die Aufnahme von Stiftshörigen in die Bürgerschaft u. s. w.

Judices et scabini ac universitas civium oppidi Vrethenensis omnibus, ad quos scriptum presens pervenerit, sincere dilectionis affectum. Noverint universi, quod nos multimoda promotione considerata et favore venerabilis domine abbatisse secularis ecclesie in Vrethene circa nos et oppidum Vrethense de communi consilio et arbitrio, ne aliqua dissensio inter ipsam et nos posset oriri, statuimus et ordinamus, quod neminem hominum ad ipsam pertinencium in nostrum concivem vel in collegium nostri concilli nisi de sua propria voluntate et arbitrio vel sui officialis, cui ipsa super hoc mandatum dederit, recipimus. Hii vero, quos iam recepimus in concives, omni iure et mandato dicte abbatisse quo alii litones ipsius stare debent et manere, hoc excepto, quod per biennium ab ipsa nulla exactione molestari debent penitus aut gravari. Insuper ordinamus, ut curtis sua, que Vehove nuncupatur et civitas Vrethenensis omni iure, quod ex antiquo ad invicem

habere consueverant, pociantur. Admittimus eciam, ut dicta domina nostra abbatisa piscatura in fossatis in Molenmersche fossis libere possit frui. Ex superhabundanti nihilominus concedimus, ut quocumque homines domine nostre iam sepius nominate annuam pensionem apportaverint et tribus vicibus in anno, quando ad concilium domine abbatisse, quod Higen sprake dicitur, conveniunt, a nullo penitus in civitate aut eciam iudicibus vel scabinis valeant obligari. Et ne huic ordinacioni nostre in posterum aliquis valeat contraire, presens scriptum sigilli nostri robore consignamus. Data Vrethene anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXI<sup>o</sup>, V<sup>o</sup> Kal. Decembris.

Orig. Siegel von rotseidenen Fäden ab; Lade 217, 1, Nr. 7.